

untur cultus proportionem. Licet enim res grammaticales ad res physicas se habeant, ut *Cuculli* se habent ad *Saccharum*, ipsius verò *Sacchari* potior quàm cucullorum cura sit, per *κονλιὸ ἐννοια*; tamen hoc ævo, nescio quo fato, cura verborum tam extensivè quàm intensivè major est quam ipsarum rerum. Quod ut mecum omnes cordati, sed vix absque dolore, fateri coguntur; ita nomen (quod aliàs indicem vocant) hujus inversæ rationis, ne quis illud ex Analyseos speciosæ regulis æstimativis laboriosè supputare præsumat, ipsius *Erasmi* (Grammatici quondam celebratissimi) sapiens *Echo* suppeditat, quæ glorianti Grammaticorum discipulo cuidam & exclamanti: *Decem annos consumpsi in legendo Cicerone!* græcè respondit: *One.*

Proportio perturbata.

Hujusq. rationis

Nomen.

CAPUT IX.

De Artibus Notionalibus.

§. I.

Atque sic *Philosophiam humanam* absolvimus, cujus potior species est ipsa *Philosophia moralis*, quippe quæ reabilibus adhuc constat effatis, nisi quantum ab impositione velut appendicis instar ipsi solet annecti; succenturiata verò species est *Philosophia sermocinalis*, quæ effatis merè impositivis gaudet. Ultraque *Contemplativa* quidem est, sed utraque principaliter ad *praxin* directa, secus ac *Philosophia Divina*.

Philosophia Humana duplex

Contemplativa quidem est

§. 2. Nam ut immobilium *Philosophia* prorsus abhorret à reali circa suum objectum operatione effectivâ: ita *Naturalis* rerum suarum saltem externam imitationem & applicationem hominibus concedit, unde *Artes physicae* resultant, quibus utrisque *Philosophia* *κρυιας* dicta *Divina* constituitur; contra, quicquid *Humana Philosophia* dicit, sub hominum *praxin* cadit, atque prout in se est, effici potest. Interim, sicut, ut res *Philosophiæ naturalis* vel imitatione saltè extrinsecus repræsententur, vel applicatione promoveantur, magna difficultas est, antequam vel modus applicandi in-

(a) Non tamen absolute,
(b) Nec principaliter;

(c) Sed saltem inchoative

Primario enim ad Praxin tendit;